

Gregorij VII Pont. 13.

Henrici IV Reg. 30. Imp. 2.

Henrici I Ep. Pad. 1.

Berthold.
Ursberg.
Auctor
Apolog.
Henricia-
na.
Sigebert.
Gebhardus
Salis-
burgensis
Archiep.
partes
Ortho-
doxo-
rum, We-
cilo Mo-
gunt.
Schismatico-
rum
tuctur.

Advenerat nunc annus MLXXXV, quo, postquam Hermannus Rex Natalem Christi Goslariæ celebravit, accessit Otto Ostiensis Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, post Epiphaniam in Saxoniam. Is convocatis Saxonie Principibus in colloquium, denunciavit in proxima Synodo Romana rursus à Pontifice anathema pronunciatum in Henricum Regem. Quod iudicium Sedis Apostolicæ ita probavere Saxones, ut omnem Pontifici obedientiam obtulerint. Inde XIII Calend. Februarij Gestrungæ in Thuringia convenere utriusque factionis Episcopi ac procures, tam à Rege Henrico quam Hermannus missi. Actum in congressu de concordia; & Catholicorum nomine prolocutus Gebhardus Salisburgensis Archiepiscopus, vir canæ sapientiæ, exposuit causas ob quas Henricus à Sede Apostolica proscriptus sit; ideoque nec Regem suum agnosci posse, nec cum eo communicari votum, qui extra societatem fidelium sit positus. Contra Henrici causam egere Wecilo Moguntinus Archiepiscopus, & Conradus Traiectensis Episcopus. Schismaticorum pars utrimque acerrimè per multas disceptationes altercationesque agitata; ventumque ad pugnam etiam, qua duo Theodorici consanguinei Comites periire; ac nisi Udo Hildesienfis Episcopus, fraterque ejus Conradus fugâ sese subduxissent, nihil propius erat, quàm ut Saxonum quoque gladijs confoderentur; quòd communem religionis gentisque suæ causam deserere comperti essent. Quapropter & Udo haud multò post cum quibusdam Saxonibus ad Henrici & Schismaticorum partes transiit; eoque à Pontificis Legato omnibus illi sacris est interdictum.

Synodus
Quide-
lebur-
gensis,
quæ in ea
acta.

Orthodoxi igitur, ut extra adversariorum congressum se firmerent, Quidelenburgi communem omnium Episcoporum synodum indixere, ad quam Hermannus Rex cum Legato Apostolico, & proceribus ipsis feriis Paschalibus accessit. Interfuere huic celebri Catholicorum Synodo Gebhardus Salisburgensis Archiepiscopus, Hartwigus Magdenburgensis Archiepiscopus, Adalbero Wirceburgensis, Altmannus Passaviensis, Adalbertus Wormatiensis, Burchardus Halberstadiensis, Wernherus Merseburgensis, Guntherus Citiensis, Benno Misnensis, Hartwicus Verdensis, Hermannus Metensis, Reginhardus Mindensis, Wigoldus Augustanus, Gebhardus Constantiensis, Henricus Paderbornensis, Episcopi. Hi postquam confedere, prolata sunt in medium decreta conciliorum, & SS. Patrum de Primatu Sedis Apostolicæ. Quibus prælectis auditisque, pronuntiatum est ab omnibus libera voce pro Gregorio VII Pontifice: probataque sunt omnia ejus acta; & damnatus Clemens Pseudopontifex, Wecilo Mo-

lo Mo.